

# VITA D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

AUCTORE JOANNE TRITENHEMIO.

Rupertus, abbas Tuitiensis cœnobii, juxta Coloniam Agrippinam, ordinis S. Benedicti, natione Teutonicus, vir in divinis Scripturis, Spiritu sancto per visionem illustrante, doctissimus, et sæcularium litterarum non ignarus, monachus Sancti Laurentii Trajectensis, propter incredibilem eruditionem suam a Friderico Coloniensi archiepiscopo inde assumptus, et in abbatem Tuitiensis monasterii sublimatus, multa præclara opuscula composuit. Ex eo siquidem tempore quo cœnobium in juventute sua ingressus est, tantum se Scripturis sanctis exercitaverat, ut nec dormiens quidem a meditando illis videretur posse quiescere, quin lingua et labia ejus quasi legendo moverentur. De cujus opusculis ego tantum ad præsens reperi subjecta :

*Ad Canonem abbatem Sigebergensem, postea episcopum Ratisponensem :*

De victoria Verbi Dei lib. XIII. *Nuper cum tu hospes op.*  
 In Genesim lib. IX. *Quicumque fidei animam dum.*  
 In Cantica canticorum lib. VII. *Qui contra hominem similem.*  
 In librum sancti Job lib. X.  
 In libros Regum de David lib. XV.  
 De S. Trinitate in Vetus Testamentum lib. XII.  
 In Apocalypsim Joannis lib. XII. *Ut tu quoque, o venerab.*  
 De officiis divinis lib. XII. *Ea que per anni circulum.*  
 Meditationes de incendio Tuitiensi lib. III. *Ecce quomodo criminatur.*  
 In duodecim prophetas minores lib. XXX.  
 In Evangelium Joannis lib. XIV.  
 Apologeticum ejusdem operis lib. I.  
 In Evangelium Matthæi lib. VIII.  
 Super Regulam S. Benedicti lib. I.  
 Epistolarum ad diversos lib. I.

Denique fertur et alia plura scripsisse, et Novum et Vetus Testamentum pro majori parte in multis libris explanasse : de quibus usque in præsens nihil vidimus præter ea que signavimus. Claruit multa sanctitate, doctrina et miraculis coruscans, sub Henrico V, anno Domini, 1124, et sub Lothario tertio moritur.

*Epitaphium saxo monumenti incisum Tuitii.*

ANNO DOMINI MCXXV. QUART. NON. MARTII.  
 OBIT VENERABILIS PATER AC DOMINUS RUPERTUS  
 ABBAS HUIUS MONASTERII,  
 VIR DOCTISSIMUS ATQUE RELIGIOSISSIMUS,  
 UT IN LIBRIS SUI QUOS EDIDIT APERTISSIME CLARET.

# ORATIO JOANNIS

SPANHEIMENSIS ABBATIS

In laudem et commendationem Ruperti quondam abbatis Tuitiensis, viri clarissimi, religiosissimi atque doctissimi ad instantiam D. Gerlaci de Breibach abbatis Tuitiensis composita.

Maxime optarem, religiosissimi fratres, eam mihi A dicendi vim collatam a superis, qua Ruperti vestri clarissimi quondam hujus Tuitiensis cœnobii abbatis præclara merita, ornatissimos mores, cumulatissimasque virtutes condignis laudibus possem affari. Talis enim ac tantus vir erat is, ut ejus meritis nedum mea, sed cujusvis oratoris eloquentia longe inferior judicaretur. Nam si vite sanctitatem inquiras, homo religiosissimus erat : si scientiam, undecunque doctissimus : si mores, omni honestate insignis. Claris enim parentibus ortus, fide clariori effulsit, dum pro Dei amore seculum contemnens se monasticis cum magno fervore submitit institutis : malens pro Deo cum legislatore nostro Benedi-

cto laboribus fatigari, quam sæculi hujus favoribus inaniter extolli. Potuit enim transgredi, et non est transgressus, et facere mala, et non fecit : sed semetipsum humilians secutus est Dominum, contemnens pompam sæculi, ad cœlestia regna, ut confidimus, feliciter pervenit. In monasterio autem constitutus, se omnibus inferiorem æstimavit : qui sanctis Patribus compar existit. Fuit enim intuentibus exemplar honesti, forma vivendi, regula pietatis. Electus autem in abbatem Tuitiensis monasterii, qualem se præbuerit subditis, quam pium, quam sollicitum, quamque, ubi oportebat, severum, quis sermo explicabit ? Erat enim incessu gravis, voce sublimis, ore facundus, vultu placidus, in motu vel